

ram ipsius visionis, sed præter eam, ex absoluta Dei potentia, qui potest etiam res perpetuas destruere, aut vivificare pro sua voluntate. Unde ex hoc, quod aliquando possit visio, seu beatitudo cessare, et destrui, aliquando non, non recte infertur, quod ex accidenti est perpetua, vel temporalis; sed deberet ulterius probari, quod per se, et ex propriis principiis solum est indifferens ad utrumque, et sic accidentaliter illi adjungitur unum, aut alterum. Nos autem probabimus, quod ex sua natura, et propriis principiis exigit perpetuitatem, licet de absoluta potentia possit actu deesse: sicut sol postulat necessario lucem, et ignis calorem, et tamen potest actu illi deesse; non ergo repugnat, quod sit perpetua visio ex natura sua, et tamen aliquando actu non duret.

XLIV. Ad id vero quod dicitur de gratia, et donis supernaturalibus respondetur gratiam, et charitatem, cæterasque virtutes, et dona supernaturalia, præter visionem beatam, non dicere per se, et ab intrinseco gratiam consummatam, et terminum ultimum felicitatis, sed ad eam ordinare ac disponere; quædam cum intrinseca imperfectione, et repugnantia ad statum beatitudinis, ut fides, spes, prophetia et similia, quæ solum sunt dona, et virtutes viales, et ad hanc vitam pertinentes, ideoque in alia vita evacuantur: quædam vero non habent istam imperfectionem intrinsece annexam, sed indifferenter possunt eam exuere, vel induere, sicut gratia, charitas, et dona Spiritus sancti, virtutesque morales infusæ; et tales non habent perpetuitatem ab intrinseco, sed juxta conditionem subjecti se accommodant; in hoc enim statu adhuc sunt imperfectæ, et non plene illud subjiciunt sibi propter mutabilitatem liberi

arbitrii, et ideo prout in tali imperfecto statu sunt, non habent perpetuitatem. At vero visio ex sua natura est gratia consummata, et terminus viæ, ubi consolidatur tota mutabilitas, et deficientia voluntatis, ideoque ex natura sua convenit illi perpetuitas, sicut et summa felicitas, ipsamque gratiam, et omnia supernaturalia illius status reddit perpetua, quia ad cumulum illius felicitatis pertinent. Et quia hæc perfectio est intrinseca visioni, non vero gratiæ, aut charitati, cum essentialiter sit ipsa assecutio beatitudinis, ideo ex sua intrinseca natura petit illam perpetuitatem; non vero eam petit gratia, et charitas ex se, sed prout conjuncta visioni.

XLV. Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicitur, quod tam lumen gloriæ, quam unio divinæ essentiæ in ratione speciei sunt ex sua natura perpetua, nisi de absoluta potentia dentur per modum transeuntis, (ut explicatum est) quia de sua natura dantur, ut principium immediatum, et proximum assecutionis beatitudinis. Et ad instantiam, quod lumen gloriæ non habet necessariam connexionem, nec est debitum quod conservetur in subjecto per certam aliquam durationem, distingo; non est hoc debitum ex meritis, et ratione subjecti, concedo; non est debitum ex propria ratione, quatenus est assecutio vitæ æternæ, et participatio quædam æternitatis ad quam elevat subjectum, nego. Et licet sit accidens supernaturaliale, hoc non tollit quominus ratione illius sit debita illa perpetuitas, licet accidens non sit debitum subjecto, quia hoc solum probat, quod illa perpetuitas non sit debita subjecto, sicut neque ipsum accidens; non tamen quod ipsi accidenti connaturale, et debitum non sit; subjecto enim super-

naturalis est talis perpetuitas, et consequenter indebita.

XLVI. Et cum instatur, quod accidentis esse est inesse, et sic non est judicandum ex parte ipsius de ejus perpetuitate, respondetur quod licet accidentis sit inesse, et ex hac parte non possit plus durare accidens, quam ejus subjectum; tamen quando præsupponitur subjectum esse perpetuum, sicut est anima spiritualis, et Angelus, et alias ipsum accidens elevat subjectum ad sublimiorem immutabilitatem, quia est participatio æternitatis; etiam ex parte ipsius accidentis, et ex ejus natura judicari, et regulari debet perpetuitas, si quidem ad participandam perpetuitatem datur tale accidens, et ideo elevat subjectum ultra suum proprium modum operandi mutabiliter, ad operandum modo immutabili, si quidem vivit vita æterna mediante tali operatione, et tali accidente: ergo vita immutabili. Nec est idem de gratia, et charitate prout in via, quia hic non datur secundum omnem modum perfectum, sicut cum est in patria, ut gratia consummata in statu præmii, sed modo imperfecto juxta mutabilitatem subjecti, quia est in statu meriti. Et ipsa unio essentiæ divinæ licet sit accidens supernaturaliale, et ex hac parte indebitum ipsi subjecto, tamen supposita ejus elevatione ad modum operandi immutabilem, et æternum, est ipsi debitum, et subjecto sic habenti illud, quod non destruat, nec mutetur. Unde non est simile judicium de naturalitate, vel supernaturalitate accidentis respectu subjecti, atque de immutabilitate, et duratione, quia naturalitas, vel supernaturalitas judicatur penes excessum, vel proportionem cum subjecto: duratio autem, vel immutabilitas non ex subjecto in quo sunt, sed ex æternitate, quam participant

et ad ejus modum operandi elevat subjectum desumitur, ut dictum est.

XLVII. Et quando dicitur, quod non est debitum tale accidens conservari in subjecto, sicut nec fieri in eo, et duratio non est judicanda de ipso accidente in se absolute, sed prout in subjecto, respondetur quod non est debitum attenda naturali conditione subjecti, et ex parte causæ materialis, transeat; attento fine ad quem datur illud accidens, et propria ejus quidditate, et elevatione, quam habet ex se, ut participetur in subjecto vita æterna, et modus operandi immutabiliter, nego; sic enim, si semel datur subjecto, debetur ei conservatio in illo, non absolute, et secundum absolutam Dei potentiam, sed ex sua naturali ratione, quia datur in statu perfecto, et ad elevandum subjectum ad vitam æternam, et immutabilem modum operandi. Neque hoc est judicare de ipso accidente absolute, et abstrahendo a subjecto, sed concernendo subjectum prout in ipsa facit immutabilem modum operandi vitæ æternæ, et elevat illud ad participationem æternitatis, sic exigit ex suo connaturali modo perpetuitatem in subjecto. Quare non est hoc regulandum penes principia subjecti naturalia, quibus neque ipsum fieri, neque conservari talis accidentis est debitum, sed juxta finem ad quem elevat, et specificationem quam habet tale accidens in immutando, et elevando subjectum ad vivendum vita æterna, et participandum æternitatem. Nec est simile de aliis accidentibus, ut de luce, aut qualitatibus cælestibus in aere; quia lux non elevat aerem ad perpetuitatem, nec tollit impedimenta, quibus influxus lucis impediri potest. Quod si maneret sol. et aer sine positione impedi- menti, perpetuo lux maneret in ae-

re, etiamsi ex principiis suis aeri non esset debita lux. Multo ergo magis perpetua est lux gloriæ in beatis, ubi influit claritas Dei sine ullo impedimento, et elevat ad perpetuitatem, et modum æternum, et immutabilem operandi ipsa visio.

XLVIII. Secundo arguitur, quia quod beatitudo, et visio sit perpetua non est ex aliquo essentiali prædicato, vel necessarie connexo, et alias sufficit quod sit perpetua ex voluntate Dei libere eam conservante; ergo ex nullo capite ponendum est quod visio essentialiter, et intrinsece sit perpetua. Consequentia est manifesta, et secunda pars antecedentis patet, quia si voluntas Dei libere conservat visionem in æternum, eosdem parit effectus, ac si conservaretur ab intrinseco, si quidem eandem habet securitatem, et excludit omnem timorem de amissione illius, fundatur enim in decreto Dei omnino infallibili, et indefectibili. Et prima pars antecedentis probatur, quia perpetua duratio, nec ex ipsa formali ratione durationis, nec ex subjecto recipiente, nec ex lumine a quo oritur visio, nec ex voluntate, quam necessitat ad non peccandum, nec ex eo, quod fit vita æterna, et participatio æternitatis, convenire potest: ergo ex nullo principio. Antecedens probatur discurrendo per singula; nam in primis, duratio ipsa perpetua non est intrinsecum prædicatum, si quidem duratio non est aliud, quam existentia continuata, existentia autem est prædicatum contingens cuicumque creaturæ; ergo et duratio perpetua. Deinde non provenit hæc perpetuitas ex subjecto recipiente, quia illa visio, et illud accidens non emanat ex principiis naturalibus subjecti; non ergo ex illius influxu habet esse, nec perpetuitatem; præsertim cum illa visio elevet sub-

jectum ad modum immutabilem et æternum, seu ad vitam æternam non ab ipso recipiat. Imo potius si attendamus ad subjectum, et in ipso principium corruptibilitatis visionis, quia intellectus habens visionem retinet privationem oppositæ formæ, scilicet erroris, et capacitatem ad illum, privatio autem est principium corruptionis.

XLIX. Quod non proveniat ex lumine perpetuitas visionis, patet; tum, quia ideo potius lumen est perpetuum, quia visio est perpetua, et immutabilis, cum sit visio vitæ æternæ; non ergo formaliter loquendo sumitur perpetuitas visionis a lumine; tum, quia lumen est extrinsecum principium visioni, non intrinsecum prædicatum, et sic non erit ei intrinseca perpetuitas; tum, quia manet eadem difficultas de lumine a quo sumat perpetuitatem, cum ex se possit dari per modum transeuntis, ut in Paulo. Idem dicimus de voluntate, quod non sumatur ab ipsa perpetuitas visionis; cum necessitatio voluntatis sit effectus visionis, non causa perpetuitatis ejus. Et sic est quid extrinsecum visioni, non intrinsecum prædicatum ejus; si ergo ab illa sumitur perpetuitas, non erit intrinsecum prædicatum. Denique ex ipsa ratione vitæ æternæ, et participatione æternitatis id non habet beatitudo; tum, quia in hoc ipso stat difficultas, quod illam vitam esse æternam est ei accidentale, et extrinsecum; sicut enim a parte ante incipit aliquando illa visio, et non est æterna, et quod incipiat est ei extrinsecum, ita quod postea non finitur, sed continuatur in perpetuum erit ei extrinsecum, et accidentale, et ex sola libera Dei voluntate collatum; de se autem dicitur illa visio vita æterna, quia conjungit nos rei æternæ, scilicet Deo, illum intelligendo et amando, non vero quia in

se essentialiter sit æterna quoad sui existentiam, hoc enim illi accidentale est; Tum quia visio de se, et essentialiter non est participatio æternitatis, sed ex statu beatitudinis, et gratiæ consummatæ, qui status ab illa abesse potest, ut fuit Paulo; tum, quia probabile est beatitudinem essentialiter consistere in amore, et hic non est immediata participatio æternitatis, imo Scotus putat eum esse liberum, et multi alii existimant posse hominem cessare ab exercitio visionis, et tunc visio non esset æterna: sicut etiamsi posset beatus peccare, posset amittere visionem, et lumen gloriæ, si quidem amitteret gratiam; quod autem non possit peccare est extrinsecum, et accidentale ipsi visioni, si quidem convenit ei ex adhæsione voluntatis ad tale bonum, ista autem adhæsio est extrinseca visioni, quia est effectus ejus; ergo ab extrinseco ei convenit quod sit inamissibilis, et incorruptibilis.

L. Respondetur perpetuitatem convenire visioni ab intrinseco, non tamen sine respectu ad causas extrinsecas per quas subsistit, et conservatur; sed quia eas ex natura sua petit, ille respectus ad tales causas dicitur esse intrinsecus, eo modo quo Angelus, et anima ab intrinseco sunt incorruptibiles, et per ordinem ad causas naturales, et character est qualitas indelebilis, licet divina potentia supra totum hoc possit tales res destruere, et annihilare. Unde visio gloriæ, tam ex causa formali, id est, propria natura, quam ex efficiente, et finali, et materiali petit perpetuitatem, et ordo ad istas causas intrinsecus, et connaturalis illi est.

LI. Et ad primam instantiam respondetur, quod duratio, et existentia rei quoad sui exercitium contingenter, et libere convenit omni creaturæ, sed ordo ad causas crea-

tas juxta quas connaturaliter exiguntur, quod ista existentia semel data non destruat, essentialis et intrinsece est creaturis incorruptilibus, et secundum hunc ordinem regulatur incorruptibilitas rei creatæ, non per ordinem ad potentiam Dei absolutam, per ordinem ad quam semper existentia, et ejus conservatio, seu duratio prædicatum accidentale est. Et sicut substantia essentialiter est ens per se existens, non quia existentia sit ei essentialis prædicatum, sed quia si habet existentiam essentialiter petit habere illam in se subsistendo, et non alteri inhærendo; ita substantiæ incorruptibiles, et qualitates perpetuæ essentialiter habere dicuntur incorruptibilitatem, et perpetuitatem, non quia ipsa existentia, et duratio earum essentialis eis sit, sed quia essentialiter, et intrinsece petunt, ut si eis semel detur existentia, non possit ab ulla causa naturali destrui, et corrumpi, sed solum per potentiam absolutam Dei, et sic naturaliter sunt perpetuæ ab intrinseco, licet per Dei potentiam annihilabiles, et destructibiles.

LII. Ad secundam instantiam de incorruptibilitate ex parte subjecti dicimus, non habere perpetuitatem ex subjecto per emanationem naturalem ab ipso, sed præsuppositive, seu non repugnanter, quatenus ex parte subjecti nihil est repugnans perpetuitati ejus, et præsupponitur subjectum ejus, scilicet intellectus non desinere, sed semper durare, ne ex subtractione subjecti desinat visio, hoc enim est prærequisitum necessarium. Et quando instatur, quod intellectus habet privationem, et potentiam ad oppositum, respondetur non remanere in intellectu beato privationem, et capacitatem connaturalem ad oppositum, quia forma illa visionis beatificæ ita satiatur intellectum, et adimplet, ut non

relinquat in illo appetitum ad oppositum, licet secundum potentiam absolutam possit tolli illa forma, et succedere oppositus error. Privatio autem, seu carentia alicujus formæ non est principium corruptionis, nisi relinquat capacitatem, et potentiam proximam ad oppositam formam; si enim non remaneat capacitas proxima, et connaturalis ad aliam formam, non erit naturaliter, et essentialiter corruptibilis, et ex principiis intrinsecis, sed solum per potentiam Dei absolutam, quod non negamus. Nec est simile de incorruptibilitate corporis gloriosi, quod solum accidentaliter incorruptibile est per dotes gloriæ; dicimus enim, quod corpus humanum ex sua natura, et ratione materiæ, ex qua constat, et dispositionibus, quibus adaptatur, postulat essentialiter corruptibilitatem, sicut alia corpora sublunaria, sed tamen immortalitas ex aliquo superveniente, scilicet ex dotibus gloriæ redundantibus ex gloria animæ, sibi convenit; hoc autem ipsi naturæ corporis accidentale est. Cæterum beatitudo ipsa animæ, et visio Dei non habet naturam de se corruptibilem, sicut corpus, et per aliquid superveniens redditur incorruptibilis, sed potius ex sua perfectione propria, et intrinseca est vita æterna, et operatio immutabilis, elevatque intellectum ad modum operandi immutabiliorem, quam in se habeat, et similiter intrinsece est beatitudo, et radix omnium bonorum, quæ homini possunt accumulari, et convenire, non autem conveniret omne bonum, et status omnium bonorum aggregatione perfectus, si radix unde talis status provenit, qui est visio, de se esset corruptibilis; sic enim de se esset radix destruendi, et deficiendi tam ingentia bona, quod utique esset magnum malum, et sic illa radix esset defectibilis, et mala; non ergo

esset principium, et origo omnium bonorum.

LIII. Ad tertiam instantiam respondetur perpetuitatem visionis esse ex lumine gloriæ elicitive, quatenus continuo influit in visionem; specificative autem id habere visionem ex divina essentia, cujus immediata participatio est tali modo, scilicet ut vita æterna, et ipsius immutabilitatis, atque æternitatis participatio, et ut assecutio summi boni, quæ sine perpetuitate stare non potest; assequi enim summum bonum, et summam felicitatem ad perdendum, seu cum intrinseco principio, et potentialitate ad amittendum, esset summa infelicitas. Et sicut non est inconueniens, quod potentiæ specificentur ab actibus, et actus ex objectis, et rursus actus elicitive procedant a potentiis, et in genere causæ effectivæ; ita non est inconueniens, quod visio elicitive, et in genere causæ efficientis habeat perpetuitatem a lumine; lumen autem respiciat in genere causæ formalis, et specificativæ visionem, et objectum ejus, scilicet essentiam divinam clare visam in se, et immutabili, atque æterna vita attingibilem. Nec obstat, quod lumen sit principium extrinsecum respectu visionis, quia non sumit visio perpetuitatem ab ipso, nisi tamquam ab elicente, seu efficiente, et hoc extrinsecum principium est. Et tamen ordo ad ipsum in visione intrinsecus esse potest. Nec restat inquirere a quo principio sumat lumen perpetuitatem: nam ex specificatione sua id habet, quatenus ex specie sua est principium visionis æternæ, et immutabilis, effective autem eam habet a Deo, a quo imprimatur immutabiliter. Quod vero additur de voluntate, quod non sumatur ab ipsa perpetuitas visionis, dicimus non sumi ab ipsa tamquam a causa, sed ex aliis causis dictis;

sequi tamen tamquam effectum visionis immobilitatem voluntatis, quæ si non sequeretur, neque visio perpetua esset, quia talem effectum habere non posset.

LIV. Ad quartam instantiam respondetur visionem de se, et essentialiter esse participationem æternitatis, et radicaliter postulare illam immutabilitatem, licet actuale exercitium ejus possit deficere, si non sit in statu perfecto, ut visio, quæ data fuit Paulo; sed hoc ei præternaturale est. Et cum dicitur in hoc peti principium, et in hoc esse difficultatem, quod illa vita sit æterna essentialiter; sufficit enim quod accidentaliter æterna sit, et ratione status ei supervenientis, respondetur non sufficere quod accidentaliter sit æterna, quia essentialiter est assecutio summi boni, et visio intuitiva Dei in se: ex eo enim, quod est assecutio summi boni, est radix omnium felicitatis, et omnium bonorum, et consequenter perpetuitas, quia habere tantum bonum, et posse amittere, maximæ infelicitatis esset. Ex eo autem quod est visio clara Dei in se superat omnem dependentiam a creaturis, et elevat super omnia, cum sit summa elevatio, et excellentia adhærere Deo; unde a nullo contrario potest corrumpi, et sic ex sua propria ratione est incorruptibilis et perpetua, quia caret omni corrumpente, et omni contrario, et solum potest desinere ex divinæ influentiæ cessatione, non ex cessatione intellectus, aut voluntatis, quia est elevatio, et raptus intellectus supra omnem modum creatum, seu connaturalem ejus, et necessitatio, seu adimpletio voluntatis, et ita non deprimitur ad ejus mutabilitatem, et modum proprium, sed supra ipsum est. Et licet incipiat illa visio de novo in aliqua duratione, et non sit ab æterno, tamen illa inceptio est per solam voluntatem Dei,

et per ejus influentiam, non per alterius causæ creatæ connaturalem influxum; licet enim dependeat ab elicentia intellectus, non tamen ab elicentia connaturali, sed supernaturali, et elevata, et rapiente intellectum et voluntatem post se; et sic non potest desinere illa visio per subtractionem alicujus causæ creatæ, aut contrarietatem ad illam, sed per solam subtractionem divini concursus, quod fatemur esse possibile, quia omnem creaturam potest Deus annihilare, sed hoc non est connaturale rebus, nec per hoc dicitur res aliqua corruptibilis simpliciter.

LV. Ad id quod dicitur visionem non durasse perpetua in Paulo, jam responsum est, id fuisse præternaturale, et non secundum statum proprium, et connaturalem visionis, sed Deo id disponente supra omne debitum rerum.

LVI. Ad id vero quod dicitur de opinione Scoti respondemus, quod Scotus ponit beatitudinem solum per voluntatem Dei esse perpetuam, et ideo non tenemur in ejus opinione respondere. Sed tamen, si solum disputationis gratia concedatur beatitudinem consistere essentialiter in amore necessario, et non libero, tunc dicimus adhuc salvari, quod beatitudo sit ab intrinseco perpetua; quia amor ille habet intrinsecas causas suæ necessitatis, scilicet summum bonum clare cognitum, et implens totam capacitatem voluntatis, et consequenter si habet causas necessitatis, habet etiam immutabilitatis, et perpetuitatis. Nec potest voluntas avertere illam visionem, quia non potest sibi displicere, cum necessario in tale objectum feratur. Et ex alia parte non habet causam suæ deficientiæ, nisi Deus velit suspendere influxum suum, quo influit in illam, quo casu nullus negat posse visionem amitti, licet id sit ei præternaturale. Scotus